

**Dissertatio medica inauguralis de oculo ut signo ... / publice defendet
Christ. Wilh. Haertel.**

Contributors

Haertel, Christian Wilhelm.
Universität Göttingen.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Gottingae : Typ. Io. Christ. Dieterich, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/whgwpwck>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10
DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
OCVLO VT SIGNO
QVAM
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO OBTINENDO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
EXHIBET ET PVBLICE DEFENDET
CHRIST. WILH. HAERTEL
CONNERNENSIS

DIE XXVIII SEPT. A. MDCCLXXXVI.

GOTTINGAE,
TYPIS IO. CHRIST. DIETERICH

*Curationis rationem optime molietur, qui ex praesenti-
bus affectionibus futura praenoverit.*

HIPPOCRATES.

FRATRI SVO

DILECTISSIMO

HANC DISSERTATIONCVLAM

GRATI CANDIDIQVE ANIMI

TESSERAM

SACRAT

AVCTOR.

FRATERNITY

DIRECTOR

THE DISTRICT OF COLUMBIA

GRAND LODGE

OF THE

OF THE

OF THE

De dignitate oculi semiotica.

§. I.

Priusquam ipsa ex oculis capienda signa expendo, non alienum ab instituto meo videtur, paucis attingere, quam oculus in semioticis habuerit dignitatem, eaque quibus ex causis illi debeatur inuestigare. Ab HIPPOCRATE inde ad nostrae aetatis Medicos, omnes fere quasi vno ore fatentur, oculos inter reliquos signorum prognosticorum fontes principatum tenere. *Oculi ut valent*, inquit diuinus medicinae parens, *sic et totum corpus a)*; quasi ex oculorum vigore totius corporis vires eluceant. Quare et PROSPER ALPINVS ait oculos in praedicendis morborum euentibus primatum obtinere *b)*. Neque dissentit FIENVS cuius sententia ab oculis maxima et diuersissima signa desumuntur, et nullibi efficaciora mortis signa quam in oculis apparent *c)*. Atque magnus BAGLIVI vt diligenter obseruent oculos sedulo monet Medicos his verbis: „nunquam ab aegro discedas in acutis „et inflammatoriis, nisi oculos inspexeris. Quando „illos

a) Epidem. VI. Sect. IV. Text. 26. Ed. FOESII Geneuae 1657. pag. 1184.

b) De praesag. vita et morte aegrot. ed. GAVBII p. 300.

c) Tractat. de signis medicis Lugdun. 1664. p. 180.

„illos a naturali statu mutatos videbis, time semper,
 „sicuti post opiatum in dysenteria; post chinam
 „chinae in magno primarum viarum apparatu: con-
 „stricto his casibus indebite humore noxio, praeci-
 „pitat aeger, et praecipitii signa, oculi a naturali
 „statu mutati ostendunt d).” At non solum in
 acutis ex oculis praesagitur; verum etiam in chro-
 nicis morbis magna illos dare signa anglus CHEYNE
 notavit e). Non mirum esse ait v. SWIETEN ocu-
 los plurima et certissima signa in morbis dare, cum
 et in sanis animi affectus varios in oculis obseruare
 liceat, et prima ingruentium morborum indicia
 saepe in oculis appareant f); vt igitur haud imme-
 rito tanquam fidissimi animi corporisque affectio-
 num interpretes habeantur g).

§. II.

Tanta vero, plurima et certissima posse ocu-
 los dare signa et ratione intelligitur, et usu con-
 firmatur. *Oculi, inquit DVRETUS, societatis, et vicini-*
tatis iure prae ceteris cerebri affectionem denotant h).
 Admiranda enim primum est *copia nervorum* qui
 oculis impertiuntur ab ipso cerebro oriundi, quae
 ea sane est vt oculus organon nervosum per emi-
 nentiam appellari possit: nam integra paria, secun-
 dum,

d) Oper. omn. Lugd. 1745. p. 77.

e) Apud ZIMMERMANN v. der Erfahrung Buch III. cap. 8. I Theil
 pag. 404.

f) Comment. in BOERHAAVI aphorism. T. II. p. 437. ed. Hildburgh.

g) GRVNER Semiotice physiologic. et pathologic. generalis. Halae 1775.
 pag. 242.

h) Apud BAGLIVI l. c. p. 77.

dum, tertium, quartum, sextum, dempta radice ad sympathicum maximum, et magnam partem primi rami quinti paris nanciscuntur *i*), externisque bulborum tutaminibus a ramo infraorbitali secundi rami quinti paris, nec non a communicante faciei furculi dantur *k*). Hinc illa pathematum animi in oculos potestas; hinc quaecunque in cerebro ataxia statim ex oculis elucet: diuersissima enim horum neruorum origine, oculi cum diuersis cerebri locis sociantur. Nec vero solis neruis, sed etiam mediantibus vasis sanguiferis oculi cum cerebro neſuntur; nemini enim non cognitum est arteriam ophtalmicam primam eſſe progeniem carotidis internae, huiusque reliquos ramos in cerebro distribui; venae etiam interiores oculi in finibus durae matris finiuntur: raro itaque ſanguis in cerebro accumuletur, quin id in oculis appareat, vel viſus caligine, vel falſis oculorum ſplendoribus, vel aucta lacrymarum ſecretione, vel rubore adhaerentis membranae, cuius ea eſt teneritudo, vt vaſa ſibi intertexta, immo colorem humorum in his vasis circulantium, facile ſinat transparere. Praeter hunc magnum cerebri cum oculis nexum, confideranda etiam eſt horum cum viſceribus abdominalibus communicatio, ope illius nerui, quem ob diſperſionis ambitum et anastoſium copiam ſympathicum maximum dixere, quippe qui a ſexto pari, ſecundoque ramo quinti paris primas petit

A 2

origines

i) WRISBESG in not. ad HALLERI prim. lin. phyſiol. p. 292.

k) MEKEL in Mem. de Berlin an. 1751. de nerv. facialibus.

origines *l)*: hinc tanta vitiorum abdominalium vis in oculos, quam pluribus exemplis demonstraui cel. RAHN *m)*. Nec omittenda quae oculo est cum naribus sympathia, mediante ramo ethmoidali primi rami quinti paris, cui ipso anastomosis cum tertio pari contingit. Arteriae quoque et venae ophthalmicae ope ramorum ethmoidalium cum nasalibus coniunguntur *n)*: hinc ex oculis signa instantis haemorrhagiae narium.

De observatione signorum ex oculis.

§. III.

Id commodi habent nostra signa, quod in iis capiendis aegri non crebris interrogationibus opprimantur, cum fere omnia visu a medico percipi possint, solis demptis facultatis sensitivae perversionibus ex aegri relatu cognoscendis. Haec signa igitur sensu inter reliquos maxime exercitato observantur; quod ut recte fiat, illa primum tenenda sunt, quae CELSVS in capiendis ex vultu signis praecepit: *Medicus, inquit, neque in tenebris, neque a capite aegri resideat, sed illustri loco aduersus eum ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat o)*; quae egregie huc congruunt, modo vultus loco, oculus ponitur. Deinde requiritur, ut omnia certo ordine animadvertantur, hoc enim neglecto multa

l) Idem in diss. de quinto pari nerv. cerebr. p. 53.

m) Dissert. de miro inter caput et viscera abdominalia commercio. Götting. 1771. §. 11 - 15.

n) DE HALIER. elem. physiol. T. V. p. 439, 440.

o) De medicina libr. III. cap. VI.

multa sensibus subterfugiunt et omittuntur: qui mihi commodus visus est ordo, et quem in descriptione signorum sequar, ab exterioribus ad interiora progreditur, ita ut primum considerentur quae circa oculos obseruanda sunt; deinde signa ex colore palpebrarum et bulbi; tum illa ex secretione lacrymarum, quae sequuntur signa ex motu cum palpebrarum tum bulbi ipsius; tum signa ex situ, magnitudine et proportionem oculorum; deinde iridis et pupillae alienationes; postremo signa ex facultate oculi sensitiua et visoria.

§. IV.

Et si autem oculi magnam vim habeant, in praemonstrandis morborum euentibus, non iis tamen solis fidendum est; sed *intellectu comprehensa omnium signorum doctrina, aestimari debet, rationeque expendi eorum vires inter se collatae p)*. Semper scilicet ratio habenda est causarum, morbi, stadii, signorum sociorum, constitutionis aegroti, et q. r. f. In aliquibus enim febribus continuis aliquando boni oculi apparent, cum tamen febris ad exitum inclinet; contra vero mala oculorum species aliquando nihil periculi habet si scilicet ex critica causa talis euenit q). Plerumque tamen bene de salute futura sperare licet, oculis bene se habentibus. His praemissis signa ipsa statuto ordine persequar.

p) HIPPOCRAT. praenot. p. in. 46.

q) PROSP. ALPINUS l. c. p. 300.

Laxa sub oculis tumiditas ut signum.

§. V.

Hypopya tumore laxo attolli, vim vitalem languentem *r*), debilem corporis constitutionem, idque praecipue si faciei pallore comitatur, et leucophlegmatiam instantem arguit *s*). Tenuissima enim tela cellulosa, laxa, substrata est cuti hypopyorum et laminis palpebrarum *t*); inde non mirum hasce partes in constitutione leucophlegmatica primas intumescere ***). Praeterea hic tumor saepe spasmos abdominales et cacochyliam imi ventris indicat *u*). Singularem vero animadversionem meretur hoc signum in febribus continuis, malignis et paraphreniticis, nam in his soporem vel lethargum mox affuturum, imo iam obreptantem denotat *v*); pessimumque est in lethargicis, et valde praecipitem morbum portendit hunc tumorem repente augeri cum facie subluvida et auriginis quibusdam notis *w*), quas primum in oculi albo apparere infra patebit.

Signa

r) *Der philosophische Arzt* 3 Stück p. 143.

s) WINTRINGHAM, commentarii de morbis quibusdam Londoni 1782 §. 149. confer. v. SWIETEN commentarii in BOERHAAVII Aphor. T. I. p. 26.

t) DE HALIER l. c. p. 320 not. p* BORDEU sur le tissu muqueux §. LXXX. p. 80.

***) Si forte hoc signum apparet versus finem febris scarlatinae. commonefaciat medicum, iam obreptare illam leucophlegmaticam totius corporis intumescantiam, in qua maximum huius morbi periculum positum est; ut eam maiore cum studio praecaueat atque lenibus diaphoreticis ac diureticis quasi in herba suffocare studeat.

u) RAHN d. c. §. XIV. p. 30.

v) BRENDEN opuscul. edit. WRISBERG. P. III. p. 24, 25, 72.

w) Ibid. p. 38.

Signa ex colore partium oculi.

§. VI.

Circulus liuidus aut plumbeus quo aliquando quasi halone palpebra inferior circumscribitur, indicat malum corporis habitum *x)* viscerum chyli-poëticorum totiusque systematis neruorum debilitatem *y)*, et qui hinc sequuntur, spasmos abdominales et imi ventris cacochyliam *z)*. Frequenter enim in menstruantibus, gonorrhæa laborantibus *a)*, hystericeis et hypochondriacis, atque in verminantibus et lienosis occurrit.

Palpebrarum naturalis color, si in *liuorem* pervertatur, exitium portenditur, quod ita expressit *Hippocrates*: — quodsi — palpebra liuescat aut pallescat itemque labrum aut nasus cum alio aliquo signo, mortem in propinquo esse significat *b)*; gangraena interna quoque hoc signo aliquando notatur *c)*; videtur itaque euenire ex atonia vasorum minorum, et putrida humorum colliquatione.

Sed ex interna etiam *palpebrarum superficie* signa elucent, quam secundum naturam copiosissimis vasculis pulchre rubere ex physiologia notum est *d)*; simili modo carunculae lacrymales rubent: quarum

A 4

partium

x) GRVNER Semiot. physiol. et pathol. p. 246.

y) Der phil. Arzt 3 St. p. 248.

z) RAHN diff. cit. §. XIV. p. 30.

a) BAGLIVI oper. omn. p. 143.

b) Prognostic. p. m. 37. Coac. 212 p. 152.

c) MORGAGNI de sedib. et caus. morbor. Epist. XXXIV. art. 9.

d) DE HALLER l. c. p. 316.

partium rubor si in *pallorem* transiit, debilem corporis constitutionem *e)*, acrimoniam acidam *f)*, et, vt BOERHAAVIVS docuit, aquosam sanguinis cacochymiam, omniaque quae ex defectu sanguinis rubri sequuntur *g)*, significat. MORGAGNI in ouium gregem aliquando incidens vidit laniones quosdam eodem fere signo vti, quo sanas oves a morbidis discernere, illas iusto, has vili pretio mercaturi; scilicet palpebram superiorem attollentes, et eorum quae sunt oculo circumiecta, colorem animaduertentes, ex rubro sanas, ex albedo durum iecur et in ventre aquam habentes internouerant *h)*.

§. VII.

Sed ex colore quoque *albugineae sic dictae membranae* signa desumuntur. Quam naturali candore micare, vel hunc ex nigro vel liuido redire ubique bonum portendit; quod *Auctor Coacarum praenotionum* his expressit: *oculorum claritas, ac eorum album ex nigro vel liuido clarum fieri, ad iudicationem confert. Ac quo celerius clarescunt eo celeriore iudicationem, at tardius tardiore significat i)*. Quaecunque vero huius candoris contaminatio, morbidum aliquem in corpore statum arguit. Obseruatum est eum vel rubro, vel flauo, vel liuido

e) Der phil. Arzt 3 St. p. 245.

f) WINTRINGHAM l. c. §. 191.

g) Praelect. ad propr. instit. §. 868.

h) l. c. Epist. XXXVIII. art. 29.

i) Text. 217. p. m. 152.

luido et nigricante colore, in morbis contaminiari. Scilicet numerosissima, eaque pellucida vasa, in oculi albo conspectui sese offerunt, quae quales humores vehant transparere sinunt *k*); sicut itaque hi colorati fuerint, ita etiam adnata tunica apparebit.

Rubor albugineae sanguinis in vasa minora impetu oritur, atque sanguinem maiori vi ad caput deferri arguit *l*), aut eius refluxum ab aliqua causa impediri; et cum ad oculos etiam sanguis per internae carotidis ramulos feratur ex hoc signo nouimus internas capitis partes similiter affici *m*) et cerebri vasa sanguine distendi. Hinc saepe cerebri inflammationem denotat, imo oculorum ruborem generatim internam inflammationem plerumque denotare WINTRINGHAM affirmavit *n*). Et HOLLERVS ait eum esse signum corrupti pulmonis, aut viscerum e directo, cerebri quoque et ventriculi inflammati *o*), hinc *ex vomitione singultus et oculi rubentes malo sunt p*). Ceterum in quacunque febre acuta oculorum rubor perniciosum signum est *q*); solet enim frequenter occurrere in putridis malignis, nervosis acutis et pestilentialibus

A 5

bus

k) V. SWIETEN l. c. T. III. p. 472.

l) WINTRINGHAM l. c. §. 141.

m) V. SWIETEN l. c. T. II. p. 582, 583.

n) l. c. §. 148.

o) Apud BAGLIV. p. 77. conf. PROSP. ALPIN. p. 312.

p) HIPPOCR. Aphor. VII. 3. p. m. 1258.

q) Progn. p. m. 37. Coac. text. 218.

bus febribus *r*). In contusionibus cranii et laesionibus meningum die septimo vel undecimo gravem ophthalmiam superuenire, mortis imminentis signum est *s*). In hydrocephalo interno mortem imminuentem quoque praenuntiat *t*). At tamen aliquando oculorum rubor crisin per haemorrhagiam narium portendit, praesertim si cum capitis aut ceruicis dolore, prurigine frontis, et visus caligine coniungitur *u*). Interdum autem per consensum oritur oculorum rubor ab acri primarum viarum saburra, unde aliquando diarrhoeam praecedit, de quo *Coacarum Auctor* ita habet: *oculorum rubor in febre ortus diuturnam alui malignitatem prae se fert* *v*). Ophthalmiae a saburra primarum viarum frequentissime oriuntur, qua aluo aut vomitu euacuata, cessant *w*). Inde *bonum est ophthalmia laborantem alui profluuium corripere* *x*). Cautem ex hoc signo iudicandum, ne ab externa causa ortus oculorum rubor nobis imponat.

§. VIII.

Liur albugineae magis, quam rubor, perniciosus, humorum putridam resolutionem et vaforum

r) STOLL rat. med. T. III. p. 202. PRINGLE von den Krankh. einer Armee übers. Brande. 347, 353. SELLE Pyretol. ed. pr. p. 272. HUXHAM oper. ed. REICHEL. T. I. p. 235.

s) KLEIN interpr. clin. p. 191.

t) WHEYT praktische Schrift. Lips. 1771. p. 677.

u) HIPPOCR. Praedict. I. text. 137. II. p. m. 108. Coac. 166.

v) Text. 219. p. m. 154.

w) RAHN d. c. §. XI. STOLL l. c. P. II. p. 102, 324, 331. T. III. pag. 195.

x) HIPPOCR. Aphor. VI. 17.

forum minorum atoniam, causas habere videtur. Perniciosum itaque, imo lethale est, candidum oculi liuescere, aut venulas in eo liuidas vel nigras apparere *y*). Cel. WINTRINGHAM ex hoc signo gangraenam et sphacelum internarum partium augurat *z*). Ex liuido vero vel nigro, album oculorum colorem redditum, esse optimum signum, iam supra annotatum est.

Flavus adnatae tunicae color in acutis signum est crassiores humores in minora vasa pelli ibique haerere immeabiles, similesque tunc in cerebro crassiorum humorum infarctus arguit; adeoque hoc signum in omnibus morbis acutis magnum discrimen notat *a*). Crassiores vero humores non possunt per vasa minora moveri, nisi aut corrupta illorum crasi, aut his minus resistantibus, inde putridam humorum resolutionem et debilitatem solidorum significat *b*). *Quibus vero in morbo laterali, plurimus ex sputo strepitus in pectore sonat, et vultus demissus est, oculusque aurigine suffusus et caligine obductus, in his mors expectanda est* *c*). Compluribus in aegrotis Cel. STOLL hoc HIPPOCRATICVM effatum verum deprehendit *d*). Praeterea color oculorum citrinus bilem in sanguine exuperare ostendit *e*); et prima icteri signa in oculi albo

y) Prognost. p. m. 37. Coac. 218. p. 153. PROSP. ALPIN. l. c. p. 48.

z) L. c. §. 148.

a) V. SWIETEN l. c. T. III. p. 61.

b) WINTRINGHAM l. c. §. 141.

c) Coac. 388. p. m. 179.

d) Rat. med. T. I. p. 152.

e) FERNELIVS pathol. libr. II. cap. XV.

albo apparent. Facillime enim tenuiores sanguinis partes bilis colore inficiuntur, quae per vasa tenerrima tenuissimae coniunctivae fluentes, nudi fere conspectui sese offerunt *f*). Icterus vero febribus superueniens cum semper aliquid monstrat, et raro eiusmodi febres sint sine malignitate *g*), semper timendum est quando oculi flavescent. Saepe tamen solam cacochyliam imi ventris denotat; non raro enim obuenit in febribus biliosis seu mesentericis *h*) et in verminantibus *h**). In chronicis morbis oculorum flavescentia debilitatem et infarctus viscerum abdominalium, iecinoris praecipue, arguit.

Signa ex lacrymis.

§. IX.

Abstergente lacryma oculi semper hument, ita tamen, ut exuperans ductibus destinatis continuo ad nares vehatur, nec in genas depluat nisi hac ad nares via morbose praecclusa, vel sua secretionem, pathemate animi, nimium aucta. Quae ob animi affectum funduntur lacrymae, *voluntariae* in semioticis audiuntur s. *spontaneae* atque his oculos aegrotorum madere bonum est, saltem non inconueniens *i*); notat enim illaefum animi cum corpore

f) V. SWIETEN l. c. p. 140.

g) BAGLIV l. c. p. 140.

h) HUXHAM l. c. T. I. p. 357.

*h**) V. SWIETEN l. c. T. IV. p. 721.

i) HIPPOCRAT. Aphor. IV. 52.

pore commercium *k)*, et mentis constantiam. *Mente vero constare et bene se habere ad ea quae offeruntur in quouis morbo bonum, contra vero malum l).* Malum exinde erit aegrum ad causas, quibus ei sano facile fletus moti fuerant, siccocolum manere, id enim neruorum systema stupefactum arguit. Ast in morbis aliquando lacrymae absque omni euidente causa genas depluunt, neque animi affectu expressae, neque externo quodam irritamento euocatae: has *inuoluntarias appellant s. ulro profluentes*; harum significatio in morbis magni momenti est. Quoniam vero ex causis diuersis nascuntur, haud incongruum forte videbitur has primum paucis enarrasse. Praecipua causa ut secretio lacrymarum augeatur videtur in neruorum systemate esse *m)*, quod partim ex animi pathematum in hanc secretionem potestate iam apparet: leui ex causa lacrymas fundunt qui neruis sensilioribus *n)* praediti sunt, quod hysterics, hypochondriacis, infantibus et mulieribus, facillime in fletum ciendis probatur. Praeterea secretio lacrymarum augetur a stimulo quodam, partes cum oculis in consensu versantes irritante; inde irritatis neruis dentium superiorum, ob communem originem neruorum dentalium et ophtalmicorum ex quinto pari *o)*, lacryma fluit *p)*; aequae ac a titila-

k) DE HAEN praelect. pathol. Ed. WASSERBERG T. III. p. 461.

l) HIPPOCR. aphor. II. 33. p. m. 1245.

m) DE HALLER l. c. 326.

n) WHITT l. c. p. 293.

o) Conf. in anatomic. MEKEL diff. de quinto pari neruor.

p) DE HALLER l. c. p. 326.

titilatione narium *q*), volatilibusque et sternutatoriis naribus admotis *r*), ob nervi ethmoidalis primi rami quinti paris cum nasalibus anastomosis, et horum ex eodem pari originem. Ab irritamentis in primis viis oculi saepe lacrymis madent, ut in febribus biliosis *s*) et verminosis *t*) observatur; id quod evenit ex consensu oculorum cum visceribus abdominalibus mediante nervo sympathico maximo. Altera auctae secretionis lacrymarum causa est in sanguinis maiori ad caput impetu *u*), prouti videtur in tussi, sternutatione et risu vehementiori *v*). Ultro denique effluit lacryma in morbis, ex nimia humorum tenuitate vel solidorum laxitate, sphincterulorum humorem retinentium resolutione, canaliumque lacrymalium inertia et collapsu *w*).

§. X.

Prognosis ex lacrymis involuntariis pro diversitate causarum differt. Quibus inuitis per febres acutas atque adeo ardentes, lacrymae effluunt, in his dum cetera exitialiter non se habeant, sanguinis e naribus profluvium expectandum est x); praesertim ubi alia haemor-

q) Ibid. p. 325.

r) WHYTT I. c. p. 259.

s) STOLL I. c. T. II. 129, 161. 277.

t) VAN DEN BOSCH constitut. epidem. verminos. Edit. AKERMANN. Norimb. 1779. p. 365.

u) BELLINI de urina et pulsibus etc. ed. Joh. BOHNII Frankf. et Lips. 1685. p. 487.

v) DE HALLER. I. c. p. 326.

w) DE HAEN I. c. p. 461.

x) HIPPOCR. Epid. libr. I. p. m. 956.

haemorrhagiae futurae signa non defunt; imo tunc pro indubitato signo futurae haemorrhagiae GALLENVS has lacrymas venditavit: *quod si, inquit, inuiti illacrymentur aut splendores se cernere sibi videantur aut manus admoueant naribus velut scalpentes, tunc iam non adfore sed adesse sanguinis profluvium conspicias*; monuitque medicos ne perterreantur, licet talem aegrum delirare et subfilire viderint *y*). Hasce inuoluntarias lacrymas consensuali modo, ex titilatione narium sanguine irruente facta, nasci ex dictis (§. antec.) admodum probabile est, potest tamen sanguinis ad caput congestio aliquid etiam conferre.

Inuoluntariae vero lacrymae *citra criticam causam* in acutis superuenientes *perniciosae* sunt *z*), imo, male habentibus aegris, *lethales a*); praefertim si cum his vultus moerorem exprimat, et aeger interrogatus neget se tristem esse *b*); aut si oculis madore perfusis se lacrymasse aegri negent *c*); aut si hae lacrymae per somnum effluant, aut non ad internum oculi angulum ferantur sed irregulariter marginem palpebrae inferioris transiliant *d*); quod forte accidit propter statum resolutum musculi orbicularis palpebrarum, alias

y) V. SWIETEN l. c. T. II. p. 438.

z) HIPPOCR. Aphorism. IV, 52, Prognost. p. 37. Epid. VI. 16. Coac. 218.

a) Epidem. I, p. 956.

b) V. SWIETEN l. c. T. II. p. 438.

c) DE HAEN l. c. p. 462.

d) WINTRINGHAM l. c. §. 208.

alias in lacrymabundis crebrius sese contrahentis *e*), quo lacrymae ad lacus Petitianum vehantur. In febre pestilentiali, quae plurimos demittebat ad umbras, lacrymae nihil sentientibus effluebant, et aluus et urinae, obseruante HUXHAMO *f*). In his casibus videtur esse humorum nimia tenuitas, solidorum laxitas, et inchoata neruorum resolutio. Illacrymationes inuoluntariae, hypochondriacis et hysterice acute febrientibus superuenientes, non ita sunt timendae ut in aliis, si alias iisdem istae familiares fuerint *g*); in his enim ex leuiori causa, neruos irritante, oriuntur. Inde forsitan infantibus quoque et mulierculis delicatulis, quam viris, minus perniciosae sint. Plerumque ophthalmiam citra periculum anteire solent *h*). Paroxismo hysterico superuenientes, hunc mox solutum iri indicant *i*). Praeterea quo quis minorem ob causam lacrymas fundit, eo sensilioribus neruis eum instructum esse fere augurandum.

Signa ex oculorum splendore, siccitate, puluerulentia, et squalore.

§. XI.

Oculi in homine sano certo *nitore* splendent, cuius ex modo vires vitales corporis optime metiuntur.

e) DE HALLER l. c. p. 339.

f) Oper. T. I. p. 244.

g) KLEIN interpr. clin. p. 85.

h) GRVNER l. c. p. 248. §. 362.

i) KLEIN l. c. p. 145.

tiuntur. Eius *iusus gradus* vires vitales bonas et integras notat, et in quouis morbo bonum portendit euentum; imo oculorum vigore aliquo morbo deprauato, ipse rediens primum renascentium virium indicium praebet *k*); quod adeo in angina maligna Cel. HVXHAM verum deprehendit; si enim in hac respiratio lentior et liberalior aderat et aliquis vigor alacritasque oculis restituebatur omnia erant salua *l*). Quando vero *aucto splendore* fulgent et simul aliquid fixi et intenti habent *feroces s. audaces* appellantur oculi, qui neruorum systema irritatum notant, et phrenitidem aut delirium portendunt *m*). In phreniticis conspecti conuulsionem notant, atque exinde mortem, quoniam exitiales phrenitides in has conuulsiones finiuntur *n*). Ast quibus in conuulsionibus oculi intenti splendent, iis mens non constat, et diutius morbum trahunt *o*).

Liceat hic commemorare *oculos vitreos* in febribus putridis obuientes; oculi nimirum pelucidi et ex vitro facti videntur. HVXHAM eos mortem imminuentem praenuntiare statuit *p*). LETT-SOM hoc signum in febribus putridis malignis adeo constans

k) V. SWIETEN l. c. P. 437.

l) l. c. T. II. p. 107.

m) HIPPOCR. Epidem. VI. Sect. I. 19. p. 1165. BRENDEN l. c. T. III. pag. 191.

n) PROSP. ALPIN. l. c. p. 307.

o) Coac. 351. p. 175.

p) l. c. T. I. p. 328.

constans obseruauit, vt pathognomonicum appellauerit, plures tamen sanauit vbi oculi vitrei adfuerant; atque secundum eius obseruationes, indicium est putrida febrilia symptomata cessare, si in curationis progressu oculi hanc vitream speciem deponant *q*). Similem splendorem in albo oculi et tarsis palpebrarum notauit BROKLESBY in febribus carcerum petechialibus *r*).

Deficiente naturali splendore oculi tristes et languidi conspiciuntur, atque hi vim vitalem diminutam, et functiones languentes s), neruorum debilitatem et affectiones hystericas denotant t); praesertim si simul caruncula lacrymalis paulo durior, tumidior et quasi pellucida est. In acutis eiusmodi oculi perniciem prae se ferunt u). Praeterea syncopes prodromus solent existere v). Ab his proxime distare videntur oculi qui extrinsecus hebetes conspiciuntur; quod abolito corneae splendore et pelluciditate accidit; hoc autem saepe fit in moribundis ob pelliculam albam ex inspissatis et collectis humoribus natam, quam WINSLOW a rore e corneae poris exhalante deriuat w); fortasse hic est ille albescens humor concre-

q) Medicinische Nachricht v. d. allgemein. Dispensat. zu London. aus dem Englisch. Altenb. 1777. p. 66. et passim.

r) Oeconomische u. medic. Beobacht. a. d. Engl. Berlin 1772. p. 138.

s) Philos. Arzt. 3. St. p. 120, et 245.

t) ZIMMERMANN v. d. Erfahrung. I. Theil. p. 403.

u) HIPPOCR. Prognost. p. 37. Coac. 218. p. 153.

v) V. SWIETEN l. c.

w) Abhand. v. d. Bau u. Zerglieder. d. menschl. Leib. Basel. 1754. 5ter Band. p. 163.

concretus *x*), aut illae lipipientium oculorum fordes circa eorum aciem apparentes *y*), quas HIPPOCRATES perniciosas existimavit. Ad abolitionem splendoris potest imminuta humoris aquei quantitas facere, quae in moribundis locum habet *z*). Hos vero oculos hebetes conspectos, lethalissimum esse signum GALENVS tradidit *a*).

Siccitas oculorum, ab impedita secretione lacrymarum oriens, liquidissimam sanguinis partem diffusam esse indicat *b*); et cum ex iisdem ac encephalon vasis sanguinem accipiant oculi, imprimis huius ariditatem; inde, aequae ac lingua arida, phrenitidem portendit *c*). Diutius perdurante hac oculorum siccitate, illi *puluerulenti et squalidi* euadunt, praesertim si aegri hebetes iacent, apertis palpebris, vix amplius, vel rarissime conuiuentibus, ut fieri solet in phrenitide *d*). Hi itaque magis perniciosi sunt et insaniam efficacius denotant, praesertim si post vomitum anxiosum cum voce stridula apparent *e*). *Malum* quoque, his non adeo dissimile, signum, *quod in oculis inarescit, tenuissimae lanugini aut aquarum aspergini simile*

B 2

x) Coac. 218. p. m. 153.

y) Prognost. p. m. 37.

z) V. SWIETEN I. c. T. II. p. 437.

a) PROSP. ALPIN. I. c. p. 306.

b) V. SWIETEN T. II. p. 151.

c) Ibid. p. 585 et 586.

d) Ibid. p. 600.

e) HIPPOCR. praedict. I. 17. p. m. 86.

mile f). In phreniticis oculi puluerulenti saepe magnum periculum, imo mortem praefagiunt *g*). Frequentissime hoc perniciosum signum obuenit in febribus malignis, paraphreniticis, putridis et neruosis *h*).

Praeterea oculi *lemosi* in chronicis notant sanguinem glutinosum, spissum, minus elaboratum *i*). Quando vero *pituita puriformis* ex cantho oculi interno copiosius effluit de gonorrhoea repente cohibita cogitandum est in suspectis *k*). At in lactentibus si canthus oculi maior eiusmodi materia madet, eorum parentes aut nutricem venerea labe aegrotasse significat *l*).

Signa ex motu partium oculi.

§. XII.

Ex motu quoque oculorum magna signa capiuntur. Eorum enim muscoli plurimos nervos, eosque ex ipso cerebro oriundos, accipiunt, qui itaque cerebro proximi, at maxime irritabiles, optime huius affectiones notant. Omnium autem
functio-

f) Epidem. VI. Sect. I. text. 16. p. 1165.

g) V. SWIETEN. I. c.

h) BRENDEN opusc. T. III. p. 75. SELLE Pyretol. p. m. 284. MERTENS obseruat. de febribus putrid. etc. p. 4.

i) V. SWIETEN I. c. T. I. p. 109.

k) KLEIN interpr. clin. p. 190.

l) COLOMBIER Beobachtung über d. venerisch. Krankh. d. Kinder in Samml. auserles. Abhandl. 10 B. 2 St. p. 275.

functionum quae musculis perficiuntur, peruerfiones huc referendas esse putavi.

Primum *palpebrae inter dormiendum imperfecte clausae* considerentur magnum in acutis signum. *Spektare oportet*, inquit HIPPOCRATES, *an per somnum ex oculis quid appareat. Vbi namque non commissis palpebris ex albo quid subappareat, neque id alui profluvio, aut medicamento purgante euenit, neque ita dormire consueuerit aeger, prauum est indicium, et lethale admodum m).* Cautè, ne decipiamur, ex hoc signo iudicandum. Primo nimirum nihil periculi secum ferre solet in his qui ita dormire consueuerunt, quorum certo non pauci sunt moriente ill. de HAEN, qui se ipsum semel hoc signo deceptum fuisse fatetur, ideoque sedulo auditoribus suis inculcauit, vt diligenter quaerant in huius signi aestimatione, an forte consuetudo in causa sit n). Attamen PROSP. ALPINVS in propria vxore, quae consueuerat per sanitatis tempus aliquando ita dormire, hoc signum antequam moreretur, inter alia signa pernicialia apparuisse notauit o). Deinde non adeo perniciosum est palpebris imperfecte clausis dormire, si id ex alui profluvio aut purgatione nimia, aut alia euidente causa vires corporis exhauriente oritur; notat quidem et tunc vires exhaustas esse, sed non destructas, vt refectionis praestandae spes superfit p).

B 3

vero

m) Prognost. p. 37. similis. Aphorism. VI. 52 Coac. 218.

n) Praelect. pathol. T. III. p. 377.

o) L. c. p. 312.

p) KLOEKHOFF opuscul. medic. p. 180.

vero id ex morbo tolerato, destructis viribus accidit nunquam non erit lethale. Duplici autem discrimine hoc signum obuenire sagacissimus KLOEKHOFF notauit *q)*: bulbus enim aut sursum ductus erat velut suspicientium, et hoc cum inchoata resolutione musculi palpebrarum, simul adesse retinae teneritudinem, quae prae debilitate lucem non fert, significare putat, concurrunt ergo hic duo mala signa. Altero in casu pupilla non sursum versa erat sed aperta permanebat; hic anaesthesiam neruorum oculi praefatae resolutionis comitem adesse existimat; duo itaque paralytica uniuntur, quae in acutis ubique perniciofa sunt, Addidit insuper: *itaque nec contingere solet hoc phaenomenon nisi effoeto prorsus corpore, post morbum grauem iam diu toleratum. Pulsus his remissus multifariam vitatus; mentis alienatio; decubitus qualis veterinosarum: aegre plerumque excitantur, neque tamen reuera dormiunt, sed solummodo dormientium speciem habent; nam per interualla palpebras sponte diducunt oculos circumagunt, ad normam indicatam statim illos denuo commissuri, et paulo inferius asserit: raros esse casus ubi hoc signum in acutis mortem non praenuntiauerit. Monet tamen ill. ZIMMERMANN hanc Kloekhoffiano - Hippocraticam prognosin haud omnino valere, quoniam in hystericis et infantibus saepe obuium est hoc signum citra omnem aduersum euentum *r)*. Potest nimirum hoc phaenomenon euenire varia ex causa, varioque modo; itaque*

q) Ibid. p. 179. 180.

r) V. d. Erfahrung 1 Theil. p. 403.

itaque non potest esse vbique eiusdem significationis. Musculo eleuatore palpebrarum oculi aperiantur; clauduntur orbiculari palpebrarum. Potest itaque vt quis semiclausis dormiat oculis triplici modo fieri: primo ex resolutione musculi orbicularis; quem statum lacrymae inuoluntariae non in lacum Petitionum collectae, marginem palpebrae varie transstillantes denotare videntur; deinde ex inchoata resolutione eleuatoris palpebrarum, hi vero non re vera dormiunt, sed dormientium solummodo speciem habent, semiuigilantibus ex debilitate eleuatoris palpebra decidit. — Cel. LANGHANS hoc obseruauit in iuuenibus vitio onanitico indulgentibus s). Paralytica autem in acutis vbique perniciofa sunt, tanto magis si membris accidunt, quae neruos ex ipso cerebro t), et quidem a diuersis truncis u) accipiunt. Denique id potest euenire a spasmodica leuatoris palpebrarum tensione, atque haec fortasse non adeo periculosa est, quoniam a leuiori causa, oculorum multiplici consensu, oriri potest. Probabile admodum videtur hoc locum habere in hystericis et infantibus, ob sensiliores neruos; qui enim vermibus v) aut dentitione difficili laborant solent oculis imperfecte clausis dormire.

B 4

§. XIII.

s) *Von den Lastern die sich an der Gesundh. d. Mensch. selbst rächen.* p. 55.

t) KLOEKHOF l. c. p. 181.

u) DE HAEN. l. c. p. 463.

v) FIENVS l. c. p. 163.

§. XIII.

Oculorum conniuentia Cel. STOLL palpebras imperfecte claufas, aut nictitationem palpebrarum vt opinor indicat; vtrum vero ex his certo subintelligi velit, me non perfpicere lubenter equidem fateor. Ex variis locis eius *Rationis medendi* colligere licet oculorum conniuentiam esse signum perniciosum, tanto magis, si vterque oculus inaequaliter conniueret *w*).

Oculi arctius clausi, aegroto volente haud aperiendi, nisi id oritur a muco palpebras conglutinante, in acutis mortem praenuntiant; praefertim quando cum aliis signis malis apparent: hoc phaenomenon enim accidit GALENO interprete, vel propter claudentium oculos musculorum tensionem, vel propter aperientium imbecillitatem, quorum vtrumque perniciosum *x*). Inde et auctor Praedictor: hos medicamento purgare tutum non esse ait: *qui nigra vomunt, cibos auersantur, desipiunt, ad pubem nonnihil dolent, cum aspectu feroci et clausis oculis, eos medicamentis purgare, inquit, tutum non est y*). Aliquando tamen quibus hoc signum accidit crisi instante, feruantur; quod in Coacis his docetur: *qui in febre assidua voce defecti iacent et oculis conniuentibus (clausis alias) nictantur, hi euadunt quidem si post sanguinis e naribus fluxum, ad loquelam et ad se ipsos redeant. Sin vero secus accadat*

w) STOLL l. c. T. III. p. 107, 138, 228, 239.

x) Apud PROSP. ALPIN. p. 312.

y) Praedict. I. text. 71. p. 72.

accidat cum difficultate spirandi, celeriter intereunt z). Raro vero fit ut critice appareat oculorum clausio, et non nisi in robustissima facultate a). In hydrope cerebri hoc signum paucis ante mortem diebus in alterutro oculo apparet b). An in febribus acutis ob metastasin ad cerebrum factam accidit?

Peruersiones quoque palpebrarum et superciliorum plerumque exitium praenuntiant, affectum enim principium neruorum notant. Omnium vero exitialissimum est hasce peruersiones cum aliquo sensu diminuto aut sublato videri c), de quibus HIPPOCRATES ita habet: *In febre non intermittente si labium aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non videat, si non audiat imbecillo iam corpore, quicquid ex his euenerit, in propinquo mors est d).* Et aliis locis palpebras circumtendi vel cilia retorqueri, esse ait perniciosum e). Prudenter tamen monet PROSP. ALPINVS, cum hoc signo antecedentia, simul conspecta, et praecipue postea apparentia conferenda esse, ut certum fiet iudicium f). Orbicularis enim palpebrarum musculus multis et diuersis neruis instructus, quorum aliquibus cum intercostali nexus est, poterit a le-

B 5

uiori

z) COAC. 77. p. 128.

a) PROSP. ALPINVS l. c. p. 311.

b) ODIER in auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte 9 B. 2 St. p. 332.

c) PROSP. ALPINVS l. c. p. 310.

d) Aphorism. IV. 49.

e) Prognost. p. 37. Aphor. VI. I, text. 16. Coac. 218. p. 153.

f) L. modo c.

uiori causa spasmodice affici. Quodsi vero in ipso cerebro contineatur huius peruerfionis causa, magis erit perniciofa.

Crebra palpebrarum nictitatio, est signum bilis corruptae per sanguinis massam dispersae si in febre remittente accidit g). *Crebrae fibrarum orbicularis oscillationes et tremulationes*, systema neruorum nimis fenfile, affectiones hystericas et hypochondricas arguunt h).

§. XIV.

Nunc *bulbi* etiam *motum* persequamur. Cuius quicunque a naturali statu decessus, malum in acutis portendit. *Oculi* itaque *concreti*, s. *stabiles*, *fixi* et *immobiles* magnum malum praenuntiant in acutis, et non raro mortem. Nullo enim alio modo oculi concreti fieri possunt, nisi omnium muscutorum oculi resolutione aut tensione in neutram partem, quae, cum hi muscoli cerebro proximi sint, et prae ceteris plurimis et diuersis neruis praediti, maiorem causam arguunt, eamque forsitan in ipso encephalo latentem, saltem hoc, omnium neruorum principium, vehementer afficientem; non possunt igitur non esse perniciosissimi. Merito inde damnantur in HIPPOCRATICIS libris i); mors enim his apparentibus

g) GORTER system. prax. med. T. I. §. 230.

b) RAHN d. c. §. XIV. p. 30.

i) Coac. text. 225. 227. Praedict. I. text. 46. Aphorism. VI. Sect. I. text. 16. p. 1165.

rentibus ante portas esse solet *k*). Aliquando phrenitidem *l*) aut conuulsionem *m*) portendunt. *Broklesby* eos in febre petechiali carcerum altum stuporem praefagire notauit *n*).

Oculo stabili s. concreto e directo est *instabilis* s. *nunquam conquiescens*, qualis oritur si musculi bulbum mouentes alternatim conuellantur. Notant hi magnam systematis neruorum et ipsius encephali turbationem. Perniciosi itaque sunt in acutis *o*); et phrenitidem portendunt: *oculi*, inquit enim HIPPOCRATES, *si crebro moueantur insaniam exspectanda est o*). Et in ipsa phrenitide oculi celerius agitati vicissimque aliquam in rem defixi obueniunt *q*). Tremorem et aliquando portendunt lethalem *r*). Quo vero firmum exinde iudicium colligi possit, alia quoque signa quae illuxere attentius cognoscere debemus, bene monente ALPINO. Nam musculi oculi saepe consensualiter ab irritamento primarum viarum afficiuntur; vt in verminosis *s*), et in infantibus quorum prima regio saburra acri repleta est *t*). Insu-
per

k) MORGAGNI l. c. Epist. IV. art. 26 et 35. Epist. XXXV. art. 2.
HUXHAM l. c. T. II. p. 99.

l) KLEIN l. c. p. 229.

m) MORGAGNI l. c. Epist. I. art. 2.

n) *Oeconomisch. u. medic. Beobacht.* p. 138.

o) HIPP. Prognost. p. 37.

p) Ibid. p. 38.

q) BRENDEN opusc. T. III. p. 195.

r) PROSP. ALPIN. l. c. p. 308.

s) ZIMMERMANN l. c. I Theil. 433.

t) RAHN d. c. §. XIV. p. 29. 30.

per oculi crebro moti ad diagnostica hydropis cerebri pertinent u).

Praeterea *oculorum distorsiones et peruerfiones*, quae pariter spastici et conuulsiui quid habent obseruandae sunt, quae similes causas habent similiaque praesagiunt quam praecedentes a naturali motu decessus. HIPPOCRATES omnes oculorum distorsiones damnauit, praecipue si cum alio aliquo malo signo apparuerint e. g. cum sensus aliquis immutatione aut extinctione, aut cum iudicatorio aliquo non iudicante, de quibus HIPPOCRATES ait: *In febre non intermittente si oculos etc. peruertatur, si non videat, si non audiat imbecillo iam corpore, mors in propinquo est v)*. Et in Praedict. libr. I. *In febribus ardentibus cum aliqua summi corporis perfrictione, ac egestionibus aquosis et crebris, oculorum peruersio ac distorsio malum significat, tum vero praecipue si catochi detineantur w)*. Mala quoque oculi peruersio ac distorsio ex recursione dolorum in lumbis x); morbi enim vim ad nobiliorem partem, directam esse notat y). Quod in genere de peruerfionibus oculorum dictum est, id in specie etiam valet. *Malum enim est oculorum nigrum a palpebra superiore contegi z)*; cuius phaenomenis

u) Samml. auserl. Abhand. f. praët. Aerzte. 9 B. 2 St.

v) Aphor. VI. 49.

w) Text. 81. p. 73.

x) Praedict. I. text. 69.

y) PROSP. ALPINVS l. c. p. 310.

z) Coac. 218. p. 153.

nis forsan causa est tensio musculi recti superioris f. attollentis. Oculus distortus, in palpebram inferiorem incumbens, intentus et rigidus, Theodori coniugi exitialis fuit a). Huius loci etiam est strabismus et diplopia spastica. Ille ad diagnostica hydropis cerebri pertinet; aliasque notat systema nervorum affectum, aequae ac quicunque oculorum inordinatus motus b). Diplopia in fine febrium hecticarum mortem proximam indicat c), perinde ac in aliis morbis exhaustis iam viribus, vno binisue ante mortem diebus obuenit d).

*Signa ex oculorum situ, magnitudine
et proportione.*

§. XV.

Oculos tumidos fieri et subitaneo incremento quasi *ex orbita protrudi* maximam sanguinis ad caput congestionem significat, quae in morbis acutis non potest non esse perniciofa. Iure meritoque itaque HIPPOCRATES oculos tumidos e) atque ex orbita admodum prominentes f) inter signa mala et perniciofa refert. Speciatim in angina hoc signum magnitudinem constrictionis circa collum et suffocatio-

a) Epidem, VII. text. 27. p. 1217.

b) Philos. Arzt. 3 St. p. 245.

c) KLEIN l. c. p. 196.

d) DE HAEN l. c. p. 451.

e) Prognost. p. 37.

f) Coac. 218.

cationem significat g). In peripneumonia quoque maximum periculum portendit, quod summum gradum inflammationis notat, quo sanguinis per pulmones via tantum non penitus praecludatur.

Oculi admodum caui perniciem praemonstrant in acutis h). Hi cum ceteris illam faciei speciem efformant, quam *Hippocraticam* vulgo appellant, quamque haec constituunt: *Nasus acutus, oculi concaui, tempora collapsa, aures frigidae contractae, imisque suis fibris inuersae, cutis circa frontem dura, intenta, et resiccata, et totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger aut liuidus aut plumbeus i)*; haec faciei forma plurimum a naturali recedens, in acutis imo fere in omnibus morbis exitium certum praenuntiat, nisi a vigiliis, alui fluxu, aut inedia aliqua orta fuerit. In quacunque febre ubi difficilis deglutitio, vox rauca, et oculi concaui, quos excipit dolor et inflammatio tonsillarum mors ante portas est k). Oculorum cauitas oriri videtur ex imminutione bulborum et contabescencia pinguedinis orbitariae, quibus fit ut oculi altius in orbitas recedere possint. Bulbus autem imminuitur a penuria humorum eum replentium; hinc oculi ex crebra et continua lachrymatione caui euadunt l), et in moribundis ubi
semper

g) FIENVS l. c. p. 161.

h) Progn. p. 37. Coac. 218. p. 153.

i) Progn. p. 36.

k) WINTRINGHAM l. c. §. 102.

l) FIENVS l. c. p. 161.

semper humoris aquei adest imminuta quantitas *m*); colliquatur adeps orbitaria a morbis hecticis corpus confumentibus. Ex eo oculi concaui inter cetera signa longam suppurationem significant *n*); et in febre catarrhali si oculi fiant concaui, cutis arrida, tensa, facies citrina, hecticæ metus est *o*). Primum nimirum in his partibus tabescentia apparet, quæ duris et immobilibus terminis circumferibuntur, cuiusmodi sunt oculi, dura orbita circumscripti *p*). Quibus in paralyfi oculus affecti lateris extenuatur exigua spes salutis est *q*).

Oculorum inaequalis magnitudo semper periculum portendit; magnam enim in corpore indicat turbam, cum tantus in sanis obseruetur consensus oculorum, ut vel minima vnius alteratione alter quoque mox mutetur. HIPPOCRATES itaque perniciosum esse ait si oculus alter altero minor apparet *r*); imo fere semper lethale est secundum observationes Cel. STOLL: *neque hoc neque aliis, inquit, annis ullum noui sanatum, cui in acuta febre, licet quaedam comparerent non mala quin etiam salutaria; alter oculus altero maior fieret s*). Attamen in vigore cuiusdam febris paraphreniticae a

WERL-

m) DE HALLER l. c. T. V. p. 410.

n) HIPPOCR. Progn. p. 42.

o) KLEIN l. c. p. 93.

p) BELLINI de vrina et pulsibus etc. p. m. 668.

q) BELLINI l. c. p. 524. Klein l. c. p. 211.

r) Progn. p. 37. Coac. 218. p. 153.

s) Rat. medend. T. III. p. 110.

WERLHOFIO curatae oculus sinister dextro apparebat minor, cum periculofissimorum symptomatum syndrome, nihilo minus tamen aeger resurrexit, de cuius salute ille magnus morborum propellator iam desperauerat *t*). V. SWIETEN monuit aliquando topicum malum esse non affecto cerebro, et feliciter sanari *u*). GALENVS hoc phaenomenon ex facultatis regentis extinctione oriri opinatur. A spasmo musculorum rectorum *v*), aut a paralyfi antagonistae illorum, trochlearis nempe *w*), euenire potest vt bulbus altius in orbitam recedat, ideoque minor appareat.

Docet praeterea *cornea tunica minus protuberans*, fibrarum minimarum quae illam componunt, atoniam, collapsumque arteriolarum quae humorem aqueum assiduo plorant; et in acutis perniciofa est *x*).

Signa ex iis quae intus in bulbo continentur.

§. XVI.

Primum cui praetenditur cornea est *aqueus humor*, qui in statu naturali limpidissime pellucet. Quodsi hic in morbo acuto turbetur et infuscetur vt *minus pure pelluceat*, mortem instare denuntiat

t) WERLHOFII oper. edit. WICHMANN p. 820. T. III.

u) L. c. T. III. p. 368.

v) GRVNER l. c. p. 245.

w) V. SWIETEN l. modo c.

x) KLOEKHOFF. l. c. p. 181.

tiat *y*). Huius autem pelluciditate abolita, internarum oculi partium quoque nitor perit, *iris splendorem amittit z*), et *pupilla insipientis imaginem non amplius reflectit a*), quorum utrumque perniciosum existimatur, imo posterius CARDANVS inter signa certae mortis ponit.

Ex iridis colore quoque aliqua signa forsan haurienda essent, si attentius is in morbis observaretur; pro climatum enim diuersitate differre dicitur, ita ut borealium regionum incolae primario iride coerulea aut pallide cinerea; calidarum vero regionum ciues saturate spadacea et pene nigra gauisi fuerint *b*). Imo pathematibus animi aliquando iridis colorem mutatum fuisse fertur; ut magna et diuturna moestitia cineream iridem in coeruleam, magna vero laetitia in fuscam mutauerit. Quae si forte vera sint vero haud dissimile est iridem ex morbis quoque mutari. Iridis coeruleus color visus bonitatem indicare dicitur *c*).

Sed e *pupilla* quoque signa elucent, cuius in oculo sano motus his legibus adstrictus est, ut aucto lumine coarctetur, dilatetur vero rursus visus luminis iminuta. Atque hae mutationes maximo
in

y) Ibid.

z) GRVNER. I. c. p. 249.

a) FIENVS I. c. p. 162.

b) DE HALLER I. c. T. V. p. 370

c) FIENVS I, c. p. 161.

in binis oculis fiunt consensu, et semper in sano corpore binae pupillae aequalem amplitudinem servant *d*). Extincta vero retinae sensibilitate, aut impeditis lucis radiis quo minus ad retinam peruenire possint, istae mutationes haud contingunt *e*).

Pupilla praeter modum ampla in acutis magnum periculum, imo mortem praenuntiat, denotat enim vel resolutionem fabricae mouentis iridem *f*), vel retinae sensum abolitum; quae cum nervis ex ipso cerebro oriundis accidunt, periculosissima sunt. Dilatatio autem pupillae obuenire solet in iis morbis, quos sopitum encephalon et systema nervorum concomitat; ut in deliquio animae, in apoplecticis, comatosis, animale quod opio sumpto sopitur atque in febribus malignis cum mentis alienatione coniunctis *g*). Praeterea in hydrope cerebri pupilla dilatata constans symptoma, ab omnibus fere observatoribus notatum *h*), ut ad diagnostica huius mali pertineat; id vero peculiare habet in hoc malo quod admota luce quidem statim coarctetur, manente tamen eadem luminis vi dilatetur rursus, et motibus quasi convulsivis, vacillantibus fluctuet, quod in nullo alio morbo evenit *i*). An forte quando hoc signum febribus putridis

d) DE HALLER l. c. p. 351.

e) Ibid. p. 375.

f) KLOEKHOFF. l. c. p. 181. GRVNER l. c. §. 364.

g) DE HALLER l. c.

h) WHYTT *pract. Schrift.* p. 676. MIER in *Samml. auserl. Abhandl. f. pract. Aerzte* 10 B. p. 215. 216. ODIER *ibid.* 9 B. p. 328.

i) ODIER l. c.

putridis superuenit, illas purulentas ad cerebrum metastases natas esse coniicere liceat?

Adhaec pupilla admodum dilatata, citra alia amaurosis signa, corporis laxam et debilem constitutionem significat *k*). Inter cetera signa vermium in ventriculo et intestinis praesentiam arguit, et si non symptoma pathognomonicum est, saltem in symptomatum concursu pro optimo diagnostico habendum *l*). Frequentius tamen solet occurrere in infantibus, et inter adultos in debilibus et leucophlegmaticis verminantibus *m*). Imo aliquando a sola materia pituitosa acri pungente in ventriculo vel intestinis oritur *n*).

Ast consideranda quoque pupilla dilatata tanquam amaurosis signum. Quoties enim homines adeo caeci sunt ut vix umbram a luce distinguant, pupilla dilatata est et immobilis; et qui in amaurosi aliquando mobilitatem pupillae superesse dixerunt, de imperfecto malo scripsere ubi aliquis lucis sensus superfuerit *o*), aut forte consensuali eius contractione, ex irritatione alterius oculi, adhuc sani, orta, decepti sunt.

C 2

Pupilla

k) WINTRINGHAM l. c. §. 150.

l) COOPMANN'S in notis ad MONROI nerv. anatom. contract. ed. alter. pag. 151.

m) VAN DEN BOSCH histor. const. verm. p. m. 365.

n) COOPMANN'S l. c.

o) DE HALLER l. c. T. V. p. 375.

Pupilla coarctata maiorem retinae sensibilitatem indicat, ideoque visum bonum *p*). Interdum fortitan ab hac retinae aucta sensibilitate ad systematis neruosi sensiliorem constitutionem coniectura valeat. In ascarides intus fouentibus nonnunquam pupilla coarctata animaduertitur, quibus expulsis ad consuetam amplitudinem redit *q*).

Praeterea ipsa pupilla semper esse debet nigerima; mox vbi in toto vel in parte aliquid videtur, ibi alienum est: inquirendem tunc an sit cataracta ex ceteris signis *r*). Si in suffusione pupilla nihil obscuritatis habet, atque illud vitium ab it vicissimque reuertitur, ab ore ventriculi affecto oritur *s*).

§. XVII.

Nunc signa ex *facultatis visoriae* et *sensitiuae* alienationibus proponam. Aegros acute laborantes *visu destitui* pessimum est, ac si id imbecillo iam corpore euenit certo exitiosum, iuxta illud HIPPOCRATIS effatum: *in febre non intermittente si non videat, vel non audiat, imbecillo iam corpore, mors in propinquo est t*). Hoc etiam PRINGLIJ obseruationes speciatim in febribus putidis confirmarunt: inter pessima enim signa fuit si aegri de coecitate conquerebant; Auditus vero perditio non semper adeo perniciofa fuit *u*). Apoplexiae

p) GRVNER l. c. p. 249.

q) V. D. BOSCH. l. c. p. 370.

r) DE HAEN l. c. T. III. p. 422.

s) LOMMII observ. medic. libr. II. p. m. 92.

t) Aphor. IV. 49. p. 1251.

u) Von d. Krankh. der Armee, übers. v. BRANDE. p. 354.

plexiae vel epilepsiae si superuenit visus extinctio f. *gutta serena* plerumque signum mortis est, vel vehementiae morbi *v*). Coecitates grauidarum post partum plerumque remittunt *w*). Forte in his coecitas oritur a solo sanguinis ad caput congestione, qua arteriis distentis nerui comprimuntur; quemadmodum fiat in hominibus quibus ab ebrietate visus vitatur ac perit *x*); quibus tamen consensuali modo a colluue in primis viis id quoque euenire potest, sicuti vermes intestinales saepe amaurosin temporaneam producant *y*). Miram vitiorum abdominalium in visoriam facultatem vim cel. RAHN pluribus exemplis probauit *z*).

Oculorum quoque *hebetatio* ac *retusio* malum denuntiat *a*). Praesertim in pectoris acutis morbis oculos *obtenebrari* aut *calligere* lethale signum *b*). Hoc enim fortasse a sanguinis in capite restagnatione ob impeditam circulationem per pulmones, euenit, ideoque magnum inflammationis gradum denotat; imo in pulmonum lethalibus morbis cum febre et sine febre, fere semper circa finem observantur affectiones capitis; sopores nempe, lethargus, vertigines, oculorum caligines etc. *c*). Has autem visus obtenebrationes a congestione sanguinis

C 3

fieri

v) BAGLIVI oper. p. 139.

w) KLEIN l. c. p. 117.

x) DE HALLER l. c. T. V. p. 347.

y) V. D. BOSCH. l. c. p. 365.

z) Diff. cit. §. XII.

a) Epidem. VI. 16. p. 1165. Praedict. I. 46. p. 71.

b) BAGLIV. l. c. p. 77.

c) Ibid. p. 142. 144.

fieri posse ex retinae fabrica intelligitur; quae ex duabus laminis conflata est, interna vasculosa et externa neruosa *d)*; turgentibus itaque quibus interna constat vasis, externa premitur; illa vero aliquo modo opaca redditur ob crassiores humores irrumpentes, inde sensus obtunditur *e)*. In febre ardente laborantibus si aurium sonitus cum visus hebetudine et ad nares gravitate accedant, furiosa et vehemens mentis emotio metuenda est, nisi sanguis ex naribus profluat *f)*. Saepe vero critice apparet hoc signum et inprimis haemorrhagiam narium praenuntiat, quoniam congestionem sanguinis ad caput significat. Quibus, inquit HIPPOCRATES, haemorrhagia narium instat, obtusam oculorum aciem sentiunt *g)*. Inde praecordiis duris, tumidis ac dolentibus, mali metus imminuitur, si oculorum acies hebescit, illis enim haemorrhagia narium plurimum conducit *h)*. At quibus in febre non lethali caput dolet aut tenebricosum quid ante oculos versatur, si etiam oris ventriculi morsus accesserit, biliosa vomitio aderit *i)*. Visus caliginosus igitur ad signa fordium sursum turgescientium pertinet *k)*. Apud WHYTT legitur exemplum foeminae, cui quoties acida saburra laborabat omnia obiecta densa caligine obducta videbantur; qua euacuata vel obtusa absorbentibus, recte statim videre

d) DE HALLER. l. c. p. 388.

e) DE HAEN l. c. T. III. p. 436.

f) HIPPOCR. Praedict. l. 18. p. 68. Coac. 131. p. 136.

g) Prognost. p. 38. praedict. l. text. 147. p. 80. Coac. 194, 195, 341.

h) Coac. 280. p. 164.

i) Prognost. p. 45 46.

k) SELLE pyretolog. ed. pr. p. 200.

videre potuit *l*). Oculi hebescentes in hystericis et hypochondriacis nouam accessionem, eamque grauiorem significant *m*).

Muscas ante oculos volantes videre delirium indicat aut suffusionem et cataractam minatur *n*). Dekker saepe prodromum amaurosis hoc signum obseruauit *o*). Hoc symptoma ab humorum nimio affluxu, ab obstructione vasorum retinae, particulari retinae paralyfi, et a veris humorum oculi particularibus obscurationibus oriri potest.

Ab obscuris visus phantasmatibus ad lucida transeam, a causis haud adeo disparibus oriunda. *Splendores itaque oculis obuersantes* nimium sanguinis ad caput impetum plerumque denotant. Frictio enim fortior, aut pressio oculorum eodem fere modo retinam afficit quo lux *p*); non mirum igitur vasis retinae turgentibus phantasmata fulgentia ante oculos videri, prouti in vomitu et tussi vehementiori fieri solet. Inde hi splendores haemorrhagiam narium praenuntiant, praesertim vbi simul adest capitis dolor et tensio praecordiorum absque dolore et inflammatione *q*). Cel. HUXHAM in febre pestilentiali nautica narium haemorrhagias frequen-

C 4

tes

l) Zur pract. Arzeneyk. gehör. Schrift. p. 261. 463.

m) GRVNER l. c. p. 242. §. 356.

n) FIENVS l. c. p. 200.

o) Exercitat. pract. p. 108.

p) DE HALLER l. c. T. V. p. 527. 528.

q) HIPPOCR. Prognost. p. 46. Praediect. II. p. 111.

tes obseruauit, multis salutare, seque ait vix vllam meminisse febrem in qua scotomiae et falsi oculorum splendores fuissent tam frequentes *r*). In acuta febre laborantibus eiusmodi scintillae, phrenitidem instantem notant *s*). Atque in his qui in apoplexiam proni sunt falsi ac subiti oculorum splendores inter signa subitaneae mortis interdum obueniunt *t*). Quandoque tamen hi splendores a solis sordibus primarum viarum oriuntur *u*).

§. XVIII.

Restat vt ex *lucis intolerantia*, et singulari *dolore in imis orbitis* prognostica quoque capiantur. *Oculi lucem fugientes eamque ferre nequeunt* perniciosi sunt *v*). Hoc signum in peste Patavina multis familiare fuit, et pauci in quibus hoc signum apparuerat, fuerunt qui superstites euaserint *w*), neque citra topicam oculorum affectionem, vsu venire solet, nisi in malignis putridis et neruosis febribus. Sic cel. HUXHAM in maligna febre, quam ob originem e nauibus et maximam quam edebat stragem, nauticam pestilentialem appellat, perdolentes oculorum globos luminaque refugientes obseruauit *x*). In primo hydropis cerebri stadio inter constantissima signa

r) Oper. T. I. p. 237.

s) GREGORY Uebers. der theoret. Arzneyk. §. 256.

t) HUXHAM l. c. p. 203.

u) STOLL rat. medend. T. I. p. 45.

v) HIPPOCR. Progn. p. 37. Coac. 218.

w) PROSP. ALPINVS l. c. p. 305.

x) Oper. T. I. p. 234.

signa est lucis intolerantia, a nimia retinae sensibilitate proficiscens, ex irritatione thalamorum opticorum oriunda *y*). Hoc vero signum etiam sub acceleratam sanguinis in capitis vasis circulationem nonnunquam euenit, ut in dolore capitis *z*), et in oculi inflammatione fieri solet, ex qua aliquando homines noctu melius vident; imo vino calefactus noctu litteras legebat *a*). Quod si vero in oculorum inflammatione adest maior doloris vehementia et lucis intollerentia, quam pro gradu externae inflammationis adesse debeat, verosimile est viream aliasque internas oculi partes simul inflammatas esse, visusque non mediocriter instare periculum *b*).

Singularis *bulbi oculorum dolor* in febribus nervosis saepe obuius est sine omni ophtalmia. Hunc in petechiis apparentem inter lethalia signa ponit cel. KLEIN *c*). In febre biliosa ad frontem oculosque aegrum sentire permolestum calorem cel. STOLL observauit; paucos post dies aeger mortuus est *d*).

Haec sunt quae tyroni colligere licuit. Attamen vel his apparuerit, ex oculis plura, eaque magna elucere signa.

y) WHYTT l. c. p. 670. 688.

z) Ibid. p. 257.

a) DE HALLER, l. c. T. V. p. 492.

b) DE HAEN l. c. T. III. p. 416.

c) Interpr. clin. p. 222.

d) Rat. med. T. II. p. 287.

THESES.

I.

Bilis cystica non in hepate, sed in ipsa cystide fellea, secernitur.

II.

Irritabilitas fibrarum muscularium ex parte a vi neruea dependet.

III.

Liquor amnii a sanguine arteriarum umbilicalium secerni videtur.

IV.

Indicationes hypotheticae, modo caute instituantur, in praxi clinica concedendae.

V.

Sanguinis detractiones per hirudines in ophthalmiis varios edunt effectus, pro diuersitate partis quae morfu afficitur.

VI.

VI.

Vires plantarum medicas non ex ordine botanico metiri possumus.

VII.

Prognostica ex insomniis non plane inepta.

VIII.

Sectio synchondroseos ossium pubis in sola compressione pelvis transuersa utilis est; alias sectio caesarea ei praeferenda.

IX.


Recens natis sanguinem e funiculo umbilicali antequam interligetur exprimere, vanum contra eclampsiam etc. praeferuatuum esse videtur.

THE HISTORY OF THE
REIGN OF HENRY THE SEVENTH

OF THE HISTORY OF THE
REIGN OF HENRY THE SEVENTH

THE HISTORY OF THE
REIGN OF HENRY THE SEVENTH

THE HISTORY OF THE
REIGN OF HENRY THE SEVENTH





DICTATED

SOME TIGHT
GUTTERS